

DISSE^TRATI^O
De
IDEARVM CON-
NEXIONE, EIVSDEM-
QVE EFFECTIBUS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIP^E AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HEINRICO

DVCE SAXONIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARiae WESTPHALIAE QVE &c.

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSO-
PHICI INDVLTV
IN ACADEMIA JENENSI
publico Eruditorum Examini submittet

PRÆSIDE
M. JO. FRIDERIC. WUCHERER

Auctor Respondens
JOHAN. HEINRICVS ROSBACH
Heringa Thuringus

Ad d. XXII. Maii M DCC IX

JENÆ, Typis MULLERIANIS.



VIRIS

Illustri, Praenobilissimis, Excellentissimis, Experientissimis, Consultissimis, Amplissimisque

Dn. IO. LUDOVICO NEVEN-
HAHN,

Medicinae Doctori famigeratissimo, Serenissimi Duci
Saxo-Vinariensis Consiliario splendidissimo, ut & Archia-
tro felicissimo.

Dn. IO. FRIDERICO HÄRTEL,
I. V. Doctori Celeberrimo, & Curiae Provincialis
Saxonicae Aduocato Ordinario meritissimo,

Dn. IO. CHRISTOPHORO
NEVENHAHN,

Notario Caesareo Publico, & Iuris Practico
celebri.

Patronis, Fautoribus & Cognatis pio ani-
mi cultu prosequendis

Academicum hoc specimen

sacrum esse voluit, debuit

M. IO. FRIDERICVS VVUCHERER.





Q. D. B. V.

§. I.



On equidem defuere ; qui hanc de connexione idearum doctrinam illustrarunt ingenii monumentis. Obscuriuscule ad ideas perpetram connexas respicit Magnus scientiarum restaura-

Prefatio.
Argumen-
tum hoc
impari suc-
cessu hoc
etenim per-
tractatum

tor, Baco de Verulamio de augmentis scientiarum, Lib. V, cap. IV. p. 139 : Mens humana (corpo obducta & obfuscata) tantum abest, ut speculo piano aequali & claro similis sit, quod rerum radios sincere excipiat, & reflectat, ut potius sit instar speculi incantati, pleni superstitionibus & spectris. Präiudicia hinc oriri putat, ipsi idola vocata. Superat perspicuitate

A 2

Veru-



Verulamium *Malebranche*, qui de inquirenda
veritate, Lib. II. cap. III, p. 116. seq. de vinculo
mutuo inter ideas mentis, & vestigia cerebri
&c. varia produxit huc pertinentia. Ipse Car-
tesius dudum ante Malebranchium, in tract. de
Passionibus, P. I. Art. 34 aliisque tractatuum
aliorum locis, monuit quaedam circa conne-
xionem idearum. Taceo alios, quod aut aequre
obscure, aut saltem non tam perspicue tracta-
runt hanc doctrinam, ac doctissimus Anglus,
Ioan. Lockius de intellectu humano, Lib. II. cap.
XXXIII, p. 161 seq. quem ducem sequimur,
supplementes quaedam a tanto viro, studio for-
tassis praetermissa.

*Ex quo na-
men rbe
riores
hauriri
possunt
fructus.*

§. II. Excusationem argumenti huius,
a nobis electi, eo magis impertinetur benevolus
lector, quod ad varias quæstiones, difficilli-
mas alias solutu, prompta secundum hoc dogma
est responsio. Propius itaque ad ipsum nego-
tium aggredimur, & idearum connexionem,
cum effectibus, qui multifariam se produnt, ob-
oculos sistimus tribus membris, quorum pri-
mum ideae faciem delineabit, secundum con-
nectionem annexet, & tertium, quales exinde
subsequantur effectus, recensebit.

MEM.

§ (5) §
MEMBRVM PRIMVM
IDEIS SIMPLICITER SPE-
CTATIS.

§. I.

Ideae natura primum se offert explicanda. Principibus annumerantur *Ioannes Lockius*, in aureo opere, de intellectu humano. Cui subiungere licebit, doctissimum Malebranchium, qui in libris, *de veritate inquirenda*, ideam naturam sic describit: P. II. Lib. III cap. I. *Effe*, ideam, obiectum immediatum, (h.e. quod inter mentem & obiectum materiale est, & menti intime unitur) *mentis*, aut *quod ipsi proximum est*, dum aliquid percipit, quod Lib. II. cap. I. p. 78 ubi de generali idea imaginacionis, & differentia inter *sentire* & *imaginari* (quod utrumque non, nisi ideis intercedentibus concipi potest) differuit, magis dilucide explicavit: *Organum sensuum nostrorum tenuibus constant fibris, quae ad cutem ab uno extremo terminantur, ab altero vero ad cerebri medium usque partem perducuntur, ut fibrae bifariam*

*Idea quid
sit ex men-
te at horum*

A 3 moue-

moueri possint, si agitatio ex impresione obiectorum oriatur, in superficiem externam fibra-
rum neruorum nostrorum & cerebrum pertingat,
tum mens sentit, (cujus sensationis mentionem
antea, Lib. I. cap. XIII, p. 54. fecerat.) Et judi-
cat id, quod sentit, intrinsecus positum esse, b. e.
obiectum, ut praesens, percipit, sed si fibrae in-
terne tantum agitantur, spirituum animalium.
(de quibus Lib. II. c. II. p. 81) cursu, aut alio
quopiam modo, tum mens imaginatur, b. e. ob-
iectum ut absens percipit. Nostram vero men-
tem ut explanemus, ideam dicimus esse vesti-
gium ab externo obiecto, aut per sensoria orga-
na, mediantibus spiritibus animalibus, cerebro
impressum, aut ex reflexione ortum, & intelle-
ctui communicatum.

*Quid in
bac descri-
ptione ve-
stigium fibi
velit.*

§. II. Ideam vestigium appellamus, quo
ipso imaginem intelligimus: qua aspecta, ho-
mo videt, sentit, cognoscit aliquid: sic, qui
palantium conspicit, in eo imago quaedam re-
praesentatur, fistens palantium: qua conspecta,
sentitur palantium, atque videtur. Similiter cir-
ca alios sensus collegeris. Nota sunt, quae
Cartesius hac de re moneat: Observandum in-
quit animam nullis imaginibus, ab obiectis ad
cere-

cerebrum missis, egere, ut sentiat, (contra quam
communiter philosophi nostri statuunt,) aut, ad
minimum, imaginum longe aliter illarum natu-
ram concipiendam esse, quam vulgo sit. Dioptr.
cap. IV. p. 68. Prius membrum Cartesianum
a vero abhorre, merito dixerimus: Aduer-
satur experientiae: quomodo, quaeſo, vide-
bis domum eleganter constructam, niſi ima-
ginem admittas animae communicatam. Nec
adeo abſonum, vti ſumit Carteſius, illud eſt,
cum dicit: *Nec alia cauſa iſtas fingere eos impulit, niſi quod viderent, mentem noſtram effica- citer pictura excitari, ad apprehendendum obie- gum illud, quod exhibet:* Ex hoc enim iudicarunt, Illam eodem modo excitandam ad appre-
hendenda ex, quae ſenſus mouet, per exigua
quasdam imagines in capite noſtro delineatas.
Deinde excipere quid videtur: Sed nobis contra
eſt aduertendum, multa praeter imagines eſſe,
quae cogitationes excitant, vt, e.g. verba & fi-
gna nullo modo similia iis quae ſignificant. Aſt
enim vero, non aduertit Carteſius, quod verba
quoque imagines producant: Concedimus,
non similia eſſe iis, quae ſignificant in ſe & ſua
natura, ſunt tamen similia, quoad impositio-

nis modum, quatenus ex hominum institutis & pactis significatus impositus est certus. Verba itaque prolata ut producunt imagines respondentes hominum impositioni, (quae impositio menti, ab obiecto quondam externo, tradita est, atque declarata:) ita haec exceptio locum non habet. Interim & ipse Cartesius mitiorema se demum praebet: *Licet concedere possumus, obiecta, quae sentimus, vere in cerebro nostro adumbrari, ad minimum notandum erit, nunquam imaginem omnino similem esse obiecto, quod repraesentat; nam alias nullum inter hoc & illam discrimen foret, sed rudem similitudinem sufficere.* l.c.p. 69. Sic nos Cartesius habebit lubentissime assentientes.

*Vnde hoc
vestigium
oriatur.*

§. III. Pergit nostrae ideae descriptio, & tale appellat vestigium, quod ab obiecto externo, aut per sensoria organa cerebro imprimitur aut ex reflexione oriatur. Secuti in eo Lockium sumus: *Supponamus, inquietem, mentem esse, prout vulgo dicimus, instar tabulae rasaee, omnium characterum, idearum omnium experitem;* unde ingens ista idearum multitudo, *quas negotiosa hominum phantasia, nullis conclusa limitibus, infinite propemodum in illam de-*
pinxit?

¶ (9) ¶

pinxit? unde larga ista rationis & cognitionis
suppellex? Ad hoc uno verbo respondeo: ab ex-
perientia: In ea initium est & fundamentum
omnis nostrae cognitionis. Diurna nostra ob-
seruatio, quae versatur vel circa externa sen-
suum obiecta, aut internas istas mentis operatio-
nes, quas in nobis animaduertimus, omnem co-
gitandi materiam intellectui suppeditat. Ab
hunc duobus scientiarum fontibus, omnes, quae
in nobis sunt, & esse possunt, ideae originem du-
cunt. vid. de intellectu hum. Lib. II. cap. I. de ideis
§. 2. p. 30.

MEMBRVM SECUNDVM
IDEIS PERPERAM INTER
SE CONNEXIS.

§. I.

Vm imbecillis admodum sit homi- *Origo con-*
nis notitia, relationes, quae sunt in- *nexionis*
ter res plurimas, perspicere, ipsas *perperam*
quae sunt inter rerum relationes, *factae.*
ratiociniis dignoscere nequit, hinc
rerum imagines, perperam inter se plerumque
conne&cti, cuiusmodi connexionem doctissi-

B mus

35 (10) 55

mus Lockius, l. c. lib. II, cap. XXXIII p. 161. §. 5
sic describit: *Saepe ideae, inter quas nulla co-
gnatio est, coniunguntur inter seita, ut se mutuo
comitentur, & una in mente compareant.*

*Connexio
quid sit &
qualis hic
intelliga-
tur.*

§. II. Igitur connexio idearum, prout h.
l. sumitur, est *consociatio imaginum, ab obiectis
externis cerebro impressarum, minus iusta.* Fit
connexio alias inter ideas, habentes cognacio-
nem quandam: Parentes diligimus atque Prae-
ceptores, quia non diligere lectissimam conne-
xionem habet cum non Parentes atque Praecep-
tores. Nos ad copulationem eam idealium
direximus mentem nostram, quae intercedit
cum ideis, nullam revera & accurate re exami-
nata cognitionem habentibus.

*Quonodo
fiat, ex
mente Lo-
ckii.*

§. III. Fit autem haec connexio, iudice
Lockio, aut arbitrio mentis aut casu. Hunc
idearum, inquit, *complexum, haud ex natura
sua simul iunctarum mens in se, aut pro arbitrio
suo aut casu efficit.* Lib. II. cap. XXXIII. §. 6. p.
161. Causam interim mittit, vel saltem obiter
tantum attingit, ex qua huiusmodi effectus sit
deducendus. Nos igitur quibusdam assertio-
nibus, quarum aliquae remotius huic negotio
iunctae sunt, aliquae autem proprius, funda-
mentum totius rei delineabimus.

§. IV.

¶ (ii) ¶

§. IV. Assert. I. Quoduis obiectum ex- *Quomodo*
ternum quandam impressionem in cerebro effi- *ex nostra*
ficit, & vestigium relinquit quodpiam. *sententia*
assertionis
bus de clara-
randa.

Aspectus hominis formosi imaginem quandam &
vestigium in hominis cerebro relinquit. sit hoc
mediante organo sensorio. Quid de huiusmodi
imaginibus & Cartesii sententia habendum sit, su-
pra iam monuimus.

Assert. II. Quo maior fit impressio, eo ma-
iora sunt vestigia cerebro impressa.

Producit autem impressionem maiorem omnis res
solita maior, cuiuscunque generis. Mariti obitus
maiora aperit cerebri vestigia, quam cognati: quia
res est insolita magis. Tempestas maior imprimet
ideas patentiores minori tempestate: Insculptum
quippe spiritus animales, vehementer agitati ve-
hementia atque malora vestigia.

Assertio III. Quo minor fit impressio, eo
minus oritur vestigium.

Minorem impressionem excitant, res quotidie o-
currentes, & quae solitis non maiores, ut studi-
sus in academia frequenti non producit impres-
sionem maiorem, licet aliis in locis, vbi minor est
copia studiosorum. Bene hinc Malebranche judi-
cat, de inquirenda Veritate: *Quo altius insculpē-*
runt spiritus animales vestigia in cerebro, eo viuidius
res imaginatur, Lib. II. P. II. cap. II. p. 114. Ut &;
Quo distinctiora & grandiora sunt vestigia spirituum

¶ (12) ¶
animalium, quae sunt ipsa imaginum lineamenta,
eo fortius & distinctius mens obiectum imaginatur.
cap. I. p. 79. sequitur exinde

Affertio IV. Quo distinctiora sunt vesti-
gia eo facilius inueniunt spiritus animales eadem,
vel obiecto eodem representato, vel non reprae-
sentato.

Ambitiosus, cui contumelia illata fuit, saepissime
cogitat de eadem. Aperuerat vestigium insigne
contumelia, quid mirum, si idem facile vesti-
gium a spiritibus iterum reperiatur. Quo re-
perto, eadem sese iterum exhibent cogitatio-
nes. Contra, quo obscuriora eadem sunt, obscu-
riorem eo reddunt cognitionem: Phlegmaticus
ob humores in cerebro abundantes facile impres-
sionem experitur, sed non distinctiorem uti san-
guineus. Deinde spiritus animales viam semel
consuetam saepius ingrediuntur, quod Anglus
iste, de intellectu humano, p. 161. seq. asserit: E
confuetudine & exercitatione habitus cogitatiui haud
secus in mente, quam in voluntate neocognitui, & in
corpo locomotuii nascuntur. Spiritus enim anima-
les concitati, cursum semel consuetum retinent, ac
proinde eadem rerum imagines iis abiiciuntur. Ex
hac doctrina quaestionem, cur simpliciores Chri-
stiani, Deum sibi materialem plerumque imagi-
nentur, resolues. Quia nil vere nisi materiale a
pueris observatur, conceptus quoque infantibus
de Deo materiales imprimuntur, nugis variis ad
hunc

hunc finem adhibitis. Et Malebranche senum er-
rores inuincibiles affirmans , l. c. p. 112 dicit: Non
possimus quicquam addiscere, nisi in id attentionem
defigamus, iam autem ad res attendere non possu-
mus, nisi eas imaginemur ; Hinc necesse est, ut quae-
dam cerebri partes inflectantur. Si igitur fibra ce-
rebri tantillum obduruerint, nullam inclinationem,
nullosque motus potuerunt admittere , praeter eos,
quibus iam assueverunt.

*Assert. V. Quae vestigia semel notabili-
ter sunt coniunctim impressa, ea coniunctim ite-
rum apparere solent.*

Identitas temporis in causa est effectus huius ob-
seruati: quae enim vestigia sunt hiulca & aperta,
eadem ab intellectu quasi introspectiuntur: quae
autem sunt conclusa, a spiritibus non , nisi vehe-
menter agitatis possunt & debent attingi pateque
fieri.

*Assert. VI. Alia est associatio in hoc, alia
in isto homine.*

Diuersa quippe est constitutio fibrarum cerebri,
si exactissime eandem introspicere velis: calidius
temperamentum subtiliores reddit spiritus , & ce-
rebrum ad vestigia accurate suscipienda magis ido-
neum, frigido ac humoribus nimium scaturiente:
Sic avarus senex non tangitur miseria hominis, in
iuvene, licet auaro, maiorem deprehendes fac-
titatem ad commotionem sustinendam.

35 (14) 52

Assert. VII. *Anima cum corpore est arctissime unita, & vestigia cerebro impressa immediate intuetur.*

Copulatam arctissime animam esse cum corpore, vix dubitaueris, modo perpendas accuratius, quae corpori accident, percipi statim ab anima, & corporis aegri symptomata eidem communicari impediareque, quo minus rite suis inuigilare functionibus possit.

Assertio VIII. *Simul atque anima intuetur vestigia, statim intelligit, quae ab his representantur, ea tamen sub conditione, ut res relinquens vestigium, fuerit antea exposita intellectui.*

Studio diximus: modo res relinquens vestigium fuerit antea exposita intellectui. Nisi enim hoc factum supponatur, frustra vestigium ab anima intelligi reputabis. Finge, elephantem in cerebro eius, qui nunquam huiusmodi animal viderit nec nominare audiverit, satis sensibile ciere vestigium, hinc anima nondum sciet & cognoscet quid sit elephas, addatur necesse est explanatio. Quae aut ex sola scriptoris perspicua declaratione, aut ex verbis iunctis cum oculari demonstratione, potest hauriri atque debet. Confer Malebranche l. c. Lib. II. cap. I. p. 79: *Quotiescumque, inquietum, in ipsa cerebri parte in quam nervi coeunt, moeus excitatur, & ordinem fibrarum perturbat, toties quoque in mente fit perceptio.*

Affer-

¶ (15) ¶

Assertio IX. *Eo autem percipit maiori cum attentione anima expositionem obiecti impressum factam, quo acceptius est sibi obiectum expositionem atque utilius.*

Sic ad discursum quendam moralem homo vere sapiens maiori cum attentione attendit, quam ad rem aliam magis vulgarem sibi impressam: ex qua tanta sibi utilitas non accedit.

Assertio X. *Quo autem vividius anima semel attendit, eo facilius alio tempore sifit sibi rursus eadem vestigia, quae alias siftebantur: Iisdem vestigis praesentibus, anima simul inteligit quae alias simul fuere intellecta.*

Anima spiritus animales omnino mouere potest, & dirigere eo, ut eruantur, quae antea adsuere vestigia: modo eruere eadem intenderit anima. Nemo quippe animae in corpus operationes negauerit.

MEMBRVM TERTIVM

§. I.

VSus se exerit plene eximius in deducendis quaestionibus, quas alia ratione vix resolues.

Con-

Consecrarium I.

Quomodo Idololatria fuerit primitus orta?

Idololatria quo-
modo pri-
minus orta.

R. Maimonides de idololatria ita scribit: *Animi sapientum inquietabant, Deus creauit stellas & spbaeras istas ad regendum mundum, easque in sublimi posuit & honoris participes fecit, & illis ministris utitur, merito profecto laudemus eas atque extollamus, & benorem iis impertiamur. Haec voluntas ipsius Dei est, ut magnificemus & veneremur, quemcunque ille cœxit, & honore affectit. Perinde ac rex ministros suos honoratos vult: qui honor est ipsius Regis* (ex editione Dionysii Vossii, cum interpretatione latina & notis. p. 1. & 2.) Accedit alias locus ex codem Maimonide: *Aggressi sunt homines facere simulacra in templis, quia pseudo. Propbetae Dei iactabant mandatum, ad stellas colendum: & sacerdotes prospera quaerque ex illo cultu promittebant. Observationem Vossii hac in re elegantissimam iudicamus, qua antiquitus statuas dicit fuisse nullas: cum vero plebs, quod non riperet, nec existere crederet, populi rectores assumisse symbola, solem, stellas &c. hisque sensibilibus signis Deum coli jussisse. Plebs demum imperita non amplius symbola sed ipsum Deum (esse) iudicauit. de idololatria Lib. IX. cap. IV. p. 444.* Nos rationes horum destruere nolumus: obseruantes tantummodo, deduci hanc rem posse ex connexione idearum. Superioritatem quandam fere agnoscunt homines: eamque proclives sunt assumere, quam maxime sibi proficuum reputauerint.

uerint. Aliae igitur gentes stellas, solem elegere, aliae pecudes tanquam idola: connectebant ita homines ϖ vtile esse cum $\tau\delta$ Numen esse: ϖ splendidum esse cum Numine; qua connexione idearum perperam facta lapsi sunt. Supponimus interea, perturbationem animi, in misericordia his hominibus, variis ex causis ortam, praecessisse. Vix aliqui tam funestus erat effectus secuturus: Faciunt ad illustrationem huius negotii, Baconi de Verulamio aliorumque meditationes: Tbus & nitrosi odores, quales in sacrificiis adhiberi solent, dicuntur intoxicare cerebrum & homines reddere deuotos, inducendo moxitiae speciem & contristationem spirituum, eosque (num. 930.) condensare, ut facultatibus perturbatis impostores voluntatem suam explorent. l.c. pag. 932. num. 932. Adnuit Anton van Dale: Sacerdotes tum Gracorum tum aliorum populorum, quicquid flultaे multitudini aut admirationi aut terrori esse poterat, liberenter configabant, de orig. & progressu idololatrie pag. 54.

Consectarium II.

Quibus modis confirmati fuerint atque corroborati miseri homines in cultu idololatrico.

Vossius de idololatria, Aegyptios dicit serpentum, draconum figuris Deos representasse: ut Deorum ita velocitatem, sapientiam, prouidentiam delinearent. p. 453. Consentit eruditissimus Anton van Dale, cum ideo ritus a Sacerdotibus fuisse putat

Idololatriæ confirmationis

introductos, ut sic commodius populum sub suspitionis iugo, sibi maxime proficuo detinarent. Nostra sententia est: Omnem in id Sacerdotes impendisse operam, ut, quae semel erat exercitata, conseruaretur idearum connexio peruersa. Id quod euenire vix poterat, nisi roborata perturbatione, eumque in finem adsueta specie externa humana, aliarumque rerum, quae utilitatem videbantur promittere. Quicquid enim urile est, cum eo coniungi anima cupit atque uniri. Dicitur imprimis utilitatibus plebs imperita, conf. Baco de Verulam, qui de Magis affirmat, quod imagines cereas & similia adhibuerint, paulatim liquefientia, aut alia sumo sepulta, sensim putrescentia &c. In sylua syluar. p. 958. n. 949. Et Vossius de idololatria. p. 43.

Atheismi
origo.

Consecr. III.

Hinc Atheismum deriuabis.

Mira res videbitur multis: cum & idololatriam collegimus ex dogmate nostro. Ast res adeo rara non est, vt ex idololatria labantur homines in atheistum; vbi enim se sentit, cultu imaginum deceptum homo idololatriae hucusque mancipatus, eredet demum nihil esse in hoc mundo nisi vacuum immensum. Scrutati sunt varii variis modis, iisque homines eruditissimi, atheistum. B. Spizelius ad superbiam, praeceptores impios, liberos nefandos &c. provocauit tanquam causas:

Scrit-

Scrutin. atheismi , p. 50. seq. confer Parckeri di-
 sput. de Deo ; aliosque. Solui hanc quaestione
 posse sumus persuasi, si cum his eruditis ad phi-
 lautiam hominum confugiamus. Atheismi a-
 matores, vt litare eo melius queant cupiditati-
 bus, vellent vt nihil existeret quod frenum sibi
 iniiceret, aut poenas saltem atrocissimas im-
 neret, nisi duorum supremi Numinis sequerentur,
 tò velle hoc, vt non existeret Numen, nondum ad
 atheismi originem sufficeret, nisi & confusio di-
 uinae existentiae cum essentia intercederet ad hoc
 argumentum pestilentissimum pelliciens : Tibi
 esset commodum & cupiditatibus naturalibus con-
 gruum admodum, non existere Numen, neque
 comprehendis eius, quod dicitur existere, Numinis
 essentiam. Ergo plane non existet. En funestis-
 simum effectum connexionis idearum. Nec ideo
 excludimus Baconi de Verulamio sententiam, qui
 physices neglectum dicit in causa fuisse. In inte-
 rioribus rerum pag. 116. Conferri potest doctissi-
 mus Parckerus, merito statuens, quod Epicureae
 philosophiae sectatores vix eo progressi essent, nisi
 Socrates, relicta physiologia, nouam induxisset
 philosophandi rationem, morallem. Namque con-
 iungenda sunt, physica cum moralibus, si officio
 sapientis fungi velis. in Disp. de Deo prima.

Consectar. IV.

Hinc haeretici sunt tenaces opinionum sen-
 tentiarumque.

*Haeretico-
rum tena-
cias hinc
pater.*

Decipiuntur opinionum tenacitate haeresiarchae pariter atque horum asseclae. Vexat doctores ambitio, qua, quicquid proferunt, singulare credunt esse debere, & alienissimum ab hactenus recepta opinione, sive re vera sint instructi ratione solida sive minus. Quare & eligunt sententiam nouam eamque sumunt defendendam, sive solidi quid ab orthodoxis afferatur, sive minus. Eaque facta electio, occoecat & iudicium, ut quod ab orthodoxis defenditur, stupidum, miserum, mutilum atque mancum videatur, vel saltem ex aslumta semel hypothesi defendi credat. Sic quod hominem huiusmodi traxit in perniciem, aliis perniciei causam extare sibi firmiter persuadet. En connexionem idearum inter & verum esse & & singularē esse: inter & singularē esse & vulgare stupidumq; esse aliorum. Asseclae e contra firmius adhaerent doctorum assertis: quia & sentire doctoris & & verum esse, & sentire totius ecclesiae & & utile esse stetiuque tranquille coenunientis coniungunt perperam.

Consectar. V.

Lucta rationis & appetitus pro pugna carnis & spiritus haberi solet.

Ita sese decipiunt Christianorum multi: iis enim ex merae rationis ductu quid auersantibus, sedet subinde sententia alte reposta, se renatos esse, criteriumque habere, quo superbiant Dei filii: examinata autem accuratius tota re, quicquid suscep-

*Luciae
carnis &
spiritus ae-
mulator.*

36 (21) 5

sceperunt, ex ratione factum est, non Spiritus S.
gratia dirigente. Ad eam, quae in his datur idea-
rum connexionem quod attinet, expilautia oriri
videtur. Copulant auersationem a malo, ductu-
rationis datam, cum auersatione ex spiritus gra-
tia proficidente: quam ultimam sibi falso conci-
piunt.

Consectarium VI.

Ad occursum hominis, qui intulit alias iniuriam, reconciliati nobis, semper aderit memoria illatarum.

*iniuria:
rum me-
moria sic-
bitanea.*

Contingit hoc quorumvis temperamentorum ho-
minibus: phlegmaticis quoque licet leuiori mo-
do. Aperit nempe obiectum idem eadem cere-
bri vestigia quae antea distincte sunt impressa, ob
praesens ingratum, vehementer impressum: qui-
bus ab anima conspectis, easdem iterum fouet
cogitationes, quas antea.

Consectar. VII.

Spectra ac tenebras habere commercium, opinatur nonnunquam homo, alioquis sapiens.

*Spectro-
rum cum
tenebris
commer-
cium.*

Idea pueris statim atque infantibus imprimitur,
ac si intercedat commercium inter tenebras ac spectra.
Quare adultiores facti tenebrisque ob-
uersantibus, eadem semper idea recurrit, quam
alias fortiter impresserunt, & aetatis primae
annis. Recurrit ideo quia anima, quod videtur
damnum allaturum, amoliri a se: uti e contra sese

C , iunge-

33 (2) 33
Iungete cupite quod utilitatem secum trahere vi-
debatur,

Consecr. VIII.

*Librorum
censura
sapientia
fallit.*

*Eruditorum &c. de aliis iudicium inde sae-
pius fallit.*

Doctissimi viri, cum auctores, quinam aliis ante-
ferendi, commendant, omni suspicione & praeiu-
diciis vacare sancte sibi pollicentur, grauiter ali-
quando hallucinantur. Connectunt quippe ideam
viri quem suspectum esse ab aliis quondam audie-
rant, cum idea huius istiusue operis: & hac op-
nione occupati, ne quidem dignum iudicant opus,
cui examinando debeat inuigilari.

Consecr. IX.

*Alios car-
pere volu-
pe multis
est.*

*Actiones aliorum vitii accusamus nostras
non item.*

Hominem finge, qui actiones aliorum perstringat
acriter, licet eadem plane ratione hallucinetur
sapientia. Nempe spirituum animalium cursus con-
fuetus impedit animam, quo minus rite reque
iudicare posit. Hinc semper suas actiones laudat,
aliorum vituperat. Obiectum praeterea, quod
nos censurae obnoxios reddit aliorum, a nobis
sensibus attingi solet minime. quamobrem no-
stra, aliis statim obvia, nos latent nonnunquam.

*Inclinatio
ad studia
vel a ver-
satio co-
rundem,*

*Consecr. X.
Animus exinde aut versus studia fertur, aut
aborret ab iisdem.*

Filius

Filius inhiate studiis parentis solet, quod aut ho-
nores aut alia commoda patri ex istis enata esse
certus est: E contrario aliorum generis diuersi
studia, studio huic opposita, auersari. Puerum
saepius praceptoris acerbitas a studiis absterret:
& quoties haec, cumque iis cognata vel adultus
reuoat in animum, toties simul comparet orbilii
asperitas. Quae facit, ut alto supercilie contemnat
studia.

Consectar. XI.

*Dolor maternus aliquando imbaeret perti-
nacissime.*

Mater ob subitanam filii, bene morati, & aetate
proiecti mortem dolore afficitur, dum viuit ferme
inexorabili. Feruntur aliqui indignatione in foe-
minam huiusmodi, eamque incusant impietatis.
Lenius iudicabunt, qui matrem naturali amoris
vinculo cum defuncto fuisse olim ceniunctam pen-
litauerint, inque hunc, a Deo, spem collocasse.
Qua spe, quae alta egit vestigia in cerebro, cum
cedidisse videt: Subinde repetunt spiritus anima-
les meatus distincte apertos. Quibus apertis ani-
ma iterum hos intuetur, & quae significant co-
gnoscit: siue velit, siue minus. Repetuntur autem
eo vsque hi spirituum cursus, & animae con-
templatio, dum longinquitate temporis, vel vera
in Numinis auxilio fiducia deleta fuerint saepius
nominata vestigia.


§. II. Multa hic circa modum emandan-
dae con-

*Dolor fere
immutabi-
lis.*

S (24) S

dae connexionis eiusmodi moueri possent, quae
paucis accipe. Quasius putamus actiones sedu-
lo inquirendas, relationesque quae inter ideas
intercedunt: quae coniungenda sunt relatio-
nes coniungantur, quae autem sciungenda se-
iungantur. Naturali dicens vinculo constrictae
ideae quaedam sunt, ut compareant siue velim
siue minus. Certum quidem hoc est. ast se-
ria rerum, ut in se sunt, consideratio superabit
vel impressionem vehementer factam, & per-
uersam destruet connexionem idearum. Non
negamus tamen ex studio moralium emendan-
dam esse antea philautiam, eius saltem domi-
nium: cui emendandae praescribere regulas,
nostra non fert instituti ratio. Ceterum lecto-
rem rogamus, ut pauca, quae seruauimus, ma-
gnis viris praeceuntibus, vocabula, non adeo ex
antique puraque latinitatis scriniis deponita,
velit aequi bonique consulere: cum ea, ad res
breuibus exprimendas, visa fuerint apta ad-
modum.

S. D. G.







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



DISSERTATIO

De

IDEARVM CON-
NEXIONE, EIVSDEM-
QVE EFFECTIBUS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
Quam
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMOHEINRICO
DVCE SAXONIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE &c.

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSO-
PHICI INDVLTV
IN ACADEMIA JENENSI
publico Eruditorum Examini submitter

PRÆSIDE
M.JO.FRIDERIC.WUCHERER
Auctor Respondens
JOHAN. HEINRICVS ROSBACH
Heringa Thuringus

Ad d.XXII. Maii M DCC IX

JENÆ, Typis MULLERIANIS.

